



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Francisca Romana. 9. Martij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

S. FRANCISCA ROMANA. 9. Martij.

CÆlum non terram habitasse FRANCISCAM credo. Ita semper aut cælum cum FRANCISCA aut FRANCISCA in cælo fuit. Ægræ medicus D. Alexius astitit; Assisum pergens itineris comitem ipsum Franciscum habuit. Gabriel modò inferos ei, modò cælos monstravit. Tutelaris quoq; cum filio Evangelistâ nuper mortuo superveniens Archangelum se esse prodidit; nempe semper deinde aspectabilem habuit, invidiam Soli etiam sereno facturum. Certè ad ejus vultû recitare VIRGINIS officium (& recitabat à primis annis quotidie) etiam nocte poterat; ipse concussâ solû cæsarie (fulmina prodire videbantur) orci larvas fugabat. Idè cum perperam aliquid gestû erat, erubescere visus, imò quandoq; subducere se. Semel etiam FRANCISCA, quòd aurem profanis sermonibus licèt invita præbuisset, pugnum impexit, quem quidè (audaces nos!) etiam cum accersimus prætextata verba, non metuimus. Iam sub ultimos vitæ dies hic nobiliori Angelo locû cessit. Ipsa cæli REGINA sæpe sæpius aspectu suo FRANCISCAM recreavit FILIVMQ; ad amplexus & oscula propinavit. Hic ipse quoties decumbenti affedit, dictisq; animum demulsit, vel mutus solatio futurus? quoties se cibum præbuit, quoties, ut in amantis oculis luderet, in omnes formas se mutavit, & nunc nasci iterum, agere quæ quæ puer egit, nunc pugnas veteres pugnare mortemq; obire iterum, triumphare iterum visus est. Sed & Agnû iterû induere, & ex lateris fonte illud nectar fundere sitienti voluit, quod omnes olim biberemus, nisi mundi lacunas sitiremus. Ex vitâ.

Solent Angeli astare orantibus & delectari in his quos

quos vident levare puras manus in oratione : holo-
caustum sancta devotionis gaudent se offerre Deo
in odorem suavitatis .S. Bern. hom. 3. super Missus.

S. CODRATVS M. 10. Martij.

A Deste & aures aduertite , qui matrem , qui
ubera matris , & sinum clamatis molliculi :
suum etiam Superis lac est. Matrem CODRATVS
in cunis amisit, neque tamen non molliter est edu-
catus. Et enim nibe miraculosâ implicitum Nu-
men fovit , & ambrosiâ scilicet enutrivit delica-
tum. O pluribus cæli hanc instillate , plures ut
CODRATOS habeamus ! Nimirum à cælo lactatus
cælum sapuit, cælum spiravit CODRATVS, & cæli
amore, etsi medicus aliorum prolongaret, suam
ipse tamen vitam imò mortem contempsit. Ecce
enim verberant crudelem in morem CODRATVM
tortores. Aërem, non CODRATVM, verberant.
Nunc minas Iason Præfectus, nunc blanditias in-
gerit & promissa. Surdus e st Martyr. Raptaur
cum sociis ad supplicii locum. Ad epulum ire sibi
visi sunt, atque ut scires , quanto gaudio imbuti,
cum cantu ivere , & illo , si iudices vel Cælitum
aures rogasses, longè suavissimo. Iam verò cum
capite sunt truncati , gaudio demum diceres exsi-
liisse. Terra quoque applaudens eo in loco, quem
sanguine pinxerunt, fontè reddidit, sed qui Chri-
stianorum pro Christo mori volentium non pel-
leret, sed accenderet sitim, *Ex Surio.*

*Si vis habere ministeria Angelorum, fuge con-
sortia seculi, & tētationibus resiste Diaboli. Renu-
at consolari anima tua in aliis, si vis in Dei memo-
ria delectari.* S. Bern. serm. 4, in Ps. Qui habitat.